qui fortes, ac robusti erant, ad agricultura[m], et negotiationes ablegabant, dictitantes inopiæ causam esse pigritiam, et ad rapinas, eodemq[ue] plerosq[ue] impellere, quare sublato fonte etia[m] cætera vitia omnia, quæ inde quasi ebullirent, auferri, sin ob ætatem, aut morbos viribus destituti essent, in Nosocomijs et Hospitalib[us] ad hoc ipsum ædificatis, et construtis alebant, exteros verò ad suas urbes, ac pagos ablegabant. Mitto et apud Iudæos olim infamem, et à Deo ter opt. maleditionis loco intentatam fuisse, utpote quæ signum esse iniquitatis, vitaq[ue] sceleribus, et flagitijs transacta; Mittam in vos inquit Dominus egestatem, et maledicam benedictionib[us] v[est]ris; neq[ue] intentauit solum, verum etiam reipsa rerum omnium penuria Populi sui scelera castigauit; sic ex adverso Iustis, legemq[ue] suam servantibus opes, rerumq[ue] omnium abundantiam promisit; Omnino mendicus, et indigens non erit inter vos; quare et Psaltes ille Regius inter cæteras maleditiones impiorum, ac scelestorum hominum hanc quoq[ue] assignat: Nutantes transferantur filij eius, et mendicent: inter Benedictiones verò piorum, Deumq[ue] timentium: Non vidi Iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Et verò in repub. et benè moratis urbibus quanta labes, ac pestis sit Paupertas, testantur illæ ciuitates, quæ intestinis odijs, ac bellis conflagrarunt, et pene consumptæ vix tandem respirare potuerunt. Quippe quibus opes nullæ sunt, aut facultas suas pridem iam dissiparunt, debitis sese multis constrinxerunt, æs alienum quo soluendo non sunt plurimum contraxerunt, nomina fecerunt, ut malis suis aliquid remedij afferant, Bonis inuident, malos extollunt, vetera

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 128v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/128v)